

AUSPICE DEO  
THESES THEOLOGICAS  
De  
AUTORITATE ANTIQVITATIS  
ECCLESIASTICÆ.

SUB PRÆSIDIO

*Viri maxime Reverendi, Amplissimi,  
atqve Excellentissimi*

DN. JOHANNIS HULSEMANNI,  
SS. Theol. Doctoris & PP. celeberrimi, Consistorii  
Electoralis Assessoris gravissimi, Capituli Cizensis Cano-  
nici, Alumnorum Electoralium Ephori, & ad D.  
Nicolai Pastoris vigilantissimi.

*Dn. Patroni, Promotoris ac Præceptoris sui summo  
observantia cultu jugiter devenerandi*

*Publicæ συζήσεως materiam sistit*

M. ABRAHAMUS Nethe/  
Wittebergâ Saxo.

*Ad d. 7. Septembr. An. 1648.*

---

LIPSIÆ, Typis hæredum TIMOTHEI HÖNII.

TMd 125







## DEO AUSPICE

### In disputationem de Autoritate Antiquitatis Ecclesiasticæ

#### Proœmium.

**S**Citè admodum *Tertullianus* alicubi ait: *Semper Christus inter duos latrones, i. e. extremè dissentientes, crucifigitur. Etenim ita fert hæreticorum mos, ut delirent à medio; soli autem Orthodoxi medium teneant, regiâque incedant viâ. Ne longiùs abeam, præsens id materia satis superque confirmatum it. De Nestorio Socrates memoriae prodidit, eum dono facundiæ inflatum, ad veteres animum non advertisse: quo ipso peccabat in Ἰη ἐλλειψῆς. Pontificii contra & pleraque Jesuitarum cohors, tantum nunquam Scriptorum Ecclesiasticorum admiratores videri volunt, ut *divinam, canonicam atque infallibilem Patribus* autoritatem arrogent. Vera autem Christi Ecclesia, in eaque ipse venerandus Patrum primitivæ Ecclesiæ confessus, mediam terentes viam, quæ sine præiudicio Verbi divini comperere queunt, honorem, autoritatem, reverentiam Patribus attribuerunt; nec despiciendo eos, nec nimium extollendo. Ab hac regia *ὀρθοδοξίας* via nescio quid abripuit cum nonnullis aliis clari nominis virum Marcum Antonium de Dominis, *Spalatensem in Papatu quondam Episcopum, postea verò in Britannia ob dissensus quosdam à Romana Ecclesia exulem*, in libris quos de Rep. Ecclesiastica eruditè conscripsit. Qui dum Pontificiis monstrare voluit, se non minus ipsis magnifacere Antiquitatem, ut vocant, Ecclesiasticam, nec certamen ex ipsâ detrectare (voluisse enim Jesuitis abblandiri, tot ab illo contra Papatum subitæ concertationes me non credere sinunt) in alterum extremorum τὴν ὑπερβολὴν prolapsus est, & infallibilitatem hujus-*

hujusmodi testimoniis ex ultimâ antiquitate petitis asserere conatus est. Cœterum in hujusmodi à puritate deviationes eâ, quâ fieri potest, moderatione animadvertere, fraudi non fore puto, ne lues malè sanarum opinionum alterum alterumque inficiat. Namque, ut ab humanis rebus exemplum capiam, non minor est virtus, quàm quærere, partam ministerio B. Lutheri sinceritatem Christianæ doctrinæ à minimis ad summa constanter tueri, *Ἐ ἐπαγωνίζεσθε ἀπαξ ὁδοῦ θεοῦ τοῖς ἀγίοις πῖσι*. Ne, quod Egesippus testatur apud Eusebium, de Ecclesia ab Apostolis plantata, *eam non diu post Apostolorum ætatem mansisse virginem*, idem de reformata à Pontificum corruptelis concinere oporteat. *Multi sunt, acutum videns monet Nazianzenus, qui à veritatis studio sub spe inveniendæ veritatis aberrârunt.* Præprimis autem Canonice Scripturæ autoritas in rebus fidei masculè propugnanda est, nec quò aliud ipsi velut conprincipium aut secundaria quædam norma ad latus ponatur, temerè concedendum. Si enim hîc quis in transversum rapitur, fluctuant omnia, nec corruptela longiùs abesse potest. Quare operæ pretium me facturum existimavi, si quæ à nonnullis, dum antiquitatem laudâsse volunt, circa eam introduci cœperunt, novitates, in apricum producerem, & pro ingenii modulo orthodoxam sententiam explanarem. Quo ipso Jesuitarum cum primis in hoc negotio levitatem & exceptiones intactas præterire non potui. Antiquum, quod superest, dierum ex animo veneror, velit larvam infallibilitatis Doctoribus fallilibus detracturo Spiritum veritatis largiri. Verbum tuum, Domine, est veritas!

Ep. Jud. v. 3.

Lib. III. c. 35.

Lib. I. Apolog.

Dan. VI.

## THESIS I.

Inucleatur  
nomen Anti-  
quitatis.



Ntequam velitationem ipsam ingredior, quid nomine *Antiquitatis Ecclesiasticæ* veniat, atque adeò Martium quasi campum contemplaturus sum. Duplici enim id modo capi potest (i.) *abstractivè*, ut quæstio instituat de autoritate *ipsius antiquitatis in rebus fidei definiendis*, inde à discessu Apostolorum ab his terris: quâ ratione ad inferendam veritatem non sufficere nemo negaverit, cum

erro-

erroribus æquè antiquitas competere possit. (2.) *Concretivè*, ut in disceptationem veniat autoritas personarum olim in Ecclesia docentium, sive omnium omninò, sive horum tantùm quorum scripta exstant. Quæ posterior acceptio est hujus loci. Deinde cum aliter Pontifici Ecclesiam definiant, aliter definienda sit, minimè gentium disquirimus de autoritate antiquitatis, *in cœtu visibili sub regimine Pontificis Romani professione ejusdem placitorum colligato quæ tali*: sed Ecclesia nobis est congregatio verè fidelium per universum orbem, sive membra ejus regimini externo Romanorum Episcoporum subdita fuerint, sive non fuerint. Ut ita in sensu concretivo notet *Antiquitas Ecclesiastica* non omnia scripta, quæ à primitivæ Ecclesiæ temporibus hucusque supersunt, cum hæreticorum valde scribaciū libri sic in censum venirent: *Sed tantùm literis comprehensa doctrinæ monumenta eorum Doctorum singularium, quos, ut ait Gregor. de Valentia, jam inde à tempore Apostolorum variis ætatibus Ecclesia tanquam Patres venerata est, ac fidei magistrorum loco habuit.* Cæterùm cautio hîc adhibenda est, ne ipsorum Apostolorum & citra controversiam Θεοπρωτων scripta, cum aliis successorum Ecclesiæ Doctorum confundantur. Et inter Dd. Ecclesiasticos, qui nondum obortâ Theologiâ Scholasticâ floruerunt, ad annum Christi millesimum illi intelliguntur, qui usque ad S. Bernhardum vixere, ut Justinus, Irenæus &c. recensiti à D. Calixto. *Aliàs scimus, inquit Rivetus, & fateor passim D. Calixtus, vix Patribus annumerari posse, qui post Gregorium sive post annum Christi 600. vixerunt, cum, quò plus homines ab Apostolorum ætate recesserunt, eò plus plerunqve sumserint audaciæ.* Deniqve sermo non est de autoritate Scriptorum Ecclesiasticorum in relatione ad Grammaticam puritatem & elegantiam styli, aut veracitatem testificandi de gestis historicis suæ ætatis &c. sed in relatione ad comprobationem assertionum fidei, aut Theologiæ.

II. Ut igitur constet, quo loco habenda sit Antiquitas Ecclesiastica, quantumque, si rem suo pretio æstimare velimus, scriptis præcorum Patrum hodiernum extantibus tribui conveniat, ante omnia status controversiæ ritè formandus est.

A 3

Primò,

Ecclesiæ.  
Vide Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 2. Staplet. contr. 5. q. 5. art. 1.

Quid h. l. notet antiquitas Ecclesiastica.

Anal. Fid. lib. IIX. cap. 8.

Quinam intelligantur inter Dd. Eccles. Tract. de Pat. Aut. c. 1. In præfat. ad Vinc. Lirin.

Formatur status controversiæ.

ἡ καὶ ἄρσιν,  
quod non sit  
qvæstio, vel  
de valore An-  
tiqvicitatis in-  
se.

l.all. cap. 2.  
Vide Isaacum  
Cafaub. in E-  
pist. Dedic. ad  
Exerc.

Adv. Marcio-  
nem lib. 4.  
cap. 5.

Vel an Patri-  
bus debeat  
aliqua reve-  
rentia.

Part. 1. Exam.  
Conc. Trid.  
de Tradit.  
Lib. VII Loc.  
cap. 1.

Art. 22.

Expenditur  
sententia B.  
Lutheri.

Im Sendeschrei-  
ben wider etliche  
Nottengeister  
an Herzog Al-  
brechten in  
Prussen.

Tom. 1. Jen.  
Germ. fol. 403

Primò, non negamus habere multum, præsertim apud impe-  
ritam multitudinem, ponderis antiquitatem per se & absolutè  
sumtam in commovendis hominum animis. Et scitè ait Rive-  
tus: *ut unguentis & vinis, sic etiam libris pretium addit antiquitas.*  
Id quod Christiana Religio luculentissimè comprobatur, quàm  
nihil magis Ethnicis antiquitatem suarum cæremoniarum ob-  
jicientibus, exosa reddidit præsumtâ novitate. Ut Patres ipsi  
multis Apologiis hanc notam demoliri necessè habuerint.  
*Confer Act. 17, 19.* Enimverò absolutè & universaliter verum  
non est, omnem novitatem esse rejiciendam. Optimè Tertul-  
lianus distingvit inter nova καὶ δόξαν, relatè ad aliquos, quæ in  
se vetera sunt; & καὶ ἀλήθειαν. *Viderint, inqviens, quibus novum  
est, quod sibi vetus est. Hæreses non tam novitas, quàm veritas re-  
vincit.* Deinde nec à Luthero, nec ab ejus successoribus unquam  
aut Patres, aut eorum fœtus ingenii, præsertim ubi consensus  
datur, & in puriori ætate editi, in rejiculis habiti sunt. Ut teme-  
rarium omninò mendacium atque impudens calumnia sit Ro-  
manenum, Lutheranos in hæreticorum, quos vocant, censu stre-  
nuos esse Patrum contemtores. Ita Andradius clamitat apud Che-  
mnitium: *Lutheranos in universum Antiquitatis testimonio nihil  
tribuere.* Ita Melchior Canus: *Sanctorum auctoritatem hæretici,  
maxime Lutherani, de gradu de jicere moliuntur.* Paria apud Salme-  
ronem, Canisium passim invenies, & est Papistarum commu-  
nis. Verùm enimverò, aliud loqvuntur libri nostri Symbolici;  
aliud ipse Megalander Lutherus, dum vixit, loqvutus est; aliud  
denique nostrates Theologi & verbo & factis contestati sunt.  
*Augustana Confessio* ad calcem affirmat: doctrinam à se propo-  
sitam, non tantùm in S. Scriptura fundatam esse, *sed nec Ca-  
tholicæ Christianæ, imò etiam Romanæ Ecclesiæ quantum ex  
Patrum scriptis colligere est, contraire.* B. Lutherus ad consensum  
Patrum in artic. de præsentia corporis Christi in S. Coena, hono-  
rificè provocat, subjiciens: *Welches Zeugnis der ganzen hei-  
ligen Christlichen Kirchen (wenn wir schon nichts mehr het-  
ten) soll uns allein gnugsam senn/ben diesem Artikel zu bleiben/  
und darüber keinen Nottengeist zu hören noch zu leiden.* Et  
in assert. Articulorum in Bull. Pontif. damnatorum ait: *Hoc ipso  
respon-*

responsum esto & iis, qui me accusant, quasi omnes Patres, & Dd. Ecclesie rejiciam. Non eos rejicio, sed quia nemini obscurum est, quod nonnunquam erraverint, homines enim fuerunt, ideo non prius ipsis fidem habebam, quam cum sententiarum suarum rationem mihi ex Scriptura reddiderint, quae haecenus nondum erravit. Et hoc docuit me Paulus, 1. Thess. 5, 21. Quibus verbis planum facit B. Lutherus, quo sensu excipienda sint duriora (ut quidem prima fronte videntur & exaggerantur ex Lib. de Serv. Arb. Colloq. Mensalibus cap. de Dd. Ecclesiae a Papistis, nominatim Bretlejo) sua in Patres dicta: Nec contradictionis haec loca postulanda fuisse a Dominico Gravina, plura in benignam de Patribus sententiam convasante ex Protestat. & Comment. Lutheri ad c. 5. Epist. Galat. Megalandri vestigiis quomodo institerint ejus successores, vide apud Dn. D. Calixtum. Nos B. Chemnitii verba facere non possumus, quin in partes vocemus. Ita autem ille: *Patrum scriptis suum & quidem honorificum, qui illis debetur, tribuimus locum, ut qui multos Scripturae locos praclare explicaverunt &c.* Cui praclare concinit Dn. D. Praeses, Theologus uti de totius Ecclesiae; ita de meis quoque rebus benemeritissimus: *Agnoscentur tamen, inquit, illa quantum ad unquam documenta historica, quae supersunt; Agnoscitur diligentia illorum, qui operam posuerunt in extrahendo omnium aetatum consensu ex illis documentis pro singulari DEI beneficio &c.*

III. Nec improbatur haecenus a quoquam methodus illa convincendi Papistas, quae dogmata, quae a nobis velut necessaria creditu ad salutem proponuntur, ex consensu primitivae Ecclesiae probare in nos recipimus, urgentes ex conventionem & κατ' ἀνθρώπων Papistas, ut consimiliter cum suis articulis in scrinio pectoris Pontificii confictis, & a nostra parte in dubium vocatis faciant. *Parati sumus, inquit Dn. D. Gerhardus, singula fidei nostrae capita cum Pontificiis controversa ex Patrum claris & disertis testimoniis comprobare: ideo non improbatur nobis ille modus, ut ex scriptis Patrum, qui primis quingentis annis vixerunt, in singulis articulis testimonia colligantur. Ut ita retundatur thraonica Pontificiorum jactatio: suam doctrinam esse per omnia antiquorum Patrum consensu munitam, nostram vero*

xbis

Apolog. Protestant. tract. 1. sect. 3. num. 14.

De Praescript. Proleg. cap. 6. In Apolog. contra Busch. part. 1.

Loc. Alleg.

Brev. Extens. cap. 18. th. 30.

Vel de legitimitate methodi ut argumentis ad hominem convincendi Papistas Patrum dictis.

In Loc. de Eccles. num. 204.

De Præscript.  
cap. 10.

Loc. all. cap.  
XIII.

Loc. all. pag.  
77. In libell.  
de ejus vita.  
Lib. 6. Stratag.  
Satan p. 296.  
Ad rat. 5.  
Campiani.  
Tract. de Rev.  
erga Patres.  
prop. 17. n. 5.

Jesuitarum  
hypothesis.

In 22 quest. 1.  
punct 7. §. 12.  
ibid. disp. 1. q.  
3. n. 36. in  
tract. Nichts  
ist in die Au-  
gen etc.

ἡθὲς καὶ πρῶν natam: Concidat Domin. Gravina confidentiæ  
plena vox; convicto adversario quod Patres recipiendi sunt, facile  
omnis questio de Religione mota componetur, id quod in una Confes-  
sione Augustiniana contra Confess. Augustanam edita à Torrensi cer-  
nere est, ubi ex uno Augustino omnes controversias horum tempo-  
rum perquam eruditè dissolvit: Frustratur ejusdem Gravina cau-  
tela, quæ ante incundam pugnam, Num Sanctos Veteres proban-  
dos, an rejiciendos censeant, ab hæreticis, ut vocat, postulari  
svadet. Quin etiam τὰν ἀμφοῖν largior, hac viâ post Sacram  
Scripturam à nobis depelli, ac depellendam esse vanam novi-  
tatis objectionem, eamque in Pontificios retorqvendam.  
Quemadmodum ipsi Patres haud rarò aut illibenter aliorum  
invicem testimoniis vel in mutuis disceptationibus, vel in  
conflictu cum hæreticis utuntur. Hâc ratione demonstrata de-  
dere jamdiu sua dogmata è medio nostratium οἱ οὐκ ἐν ἀγίοις,  
Chemnitius, Hamelmannus, Mylius, Joh. Gerhardus in LL.  
Commun. nonnulli etiam ex professo.

E Calvinianis Johannes Ivellus Anglicus Episcopus Saris-  
buriensis (quem propterea taxare dicit Bretlejus Humfredum,  
Jacobum Acontium &c. sed laudant Wittackerus, Jacobus  
Laurentius) edito scripto de 27. articulis à se sigillatim enume-  
ratis, ad auctoritatem Patrum provocavit, hæc verba ingemi-  
nans: Quod ante dixi, nunc repeto; Libens me submittam & pali-  
nodiam canam, si modò unquam quisquam adversariorum erudi-  
torum vel omnes simul summi proferre possint vel unam aliquam di-  
lucidam sententiam ex veteri aliquo Patre vel Doctore, vel Gene-  
rali Concilio pro tempore sexcentorum post Christum annorum,  
quâ vel unus aliquis articulus ex 27. à me propositis probetur.

IV. Cœterum non apparet quid hoc etiam modo adver-  
sus Pontificios profecturi simus, stante alterâ Jesuitarum hy-  
pothesi; Testimoniorum quorumvis de Religione latorum infallibile  
interpretamentum soli Romano Pontifici competere: cum consen-  
sus Patrum atque Conciliorum æquè obscurus sit, ac consensus  
est Sacræ Scripturæ. Quam hypothesin disertis verbis incul-  
cant Can. Sancta Romana dist. XV. Gretserus l. 2. c. X. de jure  
prohibendi &c. Valentia, Tannerus, Förerus. Atque iidem ipsi  
non



*non terminandas ducunt lites de interpretatione Conciliorum & Patrum, quod exemplo illustrat Plur. Reverendus & Excellentiss. Dn. Præses. Pertinet hac Lutheri iudicium de lite inter nos & Pontificios, mediante Patrum consensu finienda, quod extat part. 1. Lib. de Concil. & Pat. an. M. D. XXXIX. germanicè editi. Ubi, cur spem de lite hoc pacto finienda abjecerit, sequentibus verbis prudenter indicat: Den andern / so es recht gut meynen / als die da hoffen / wiewohl vergeblich / es könnte vielleicht solche seine reformatio, ihres dünckens noch aus den Vätern und Conciliis wohl geschehen / ob der Pabst gleich nicht wolte / oder auch hindern wolt / will ich wiederumb guter Meynung also antworten. Daß ichs für ein unmüglich fürnehmen ansehe / und fürwar nicht weiß wie es anzugreifen sey. Denn ich habe die Väter auch gelesen / auch ehe denn ich so steif wider den Pabst trozet etc. Paulo post: Wollen Ursach anzeigen / warumb solch fürnehmen ein unmüglich Ding sey. Erstlich ist das offenbar / wie die Concilia nicht allein ungleich / sondern auch wider einander sind / deßgleichen eben die Väter auch. Solten wir sie nun zusammen bringen wollen / da würde gar viel ein grösser Zank und Disputation sich erheben / weder ist ist / daraus wir nimmermehr könnten kommen / denn nach dem sie (in solchen) gar ungleich / und oft gegeneinander sind / So müßten wir uns erstlich das fürnehmen zu arbeiten / wie man das beste heraus klaubet / und das ander fahren liesse. Da würde sichs heben / Einer würde sagen / will man sie halten / so halte man sie gar / oder halte nichts / der ander würde sagen / Ja ihr klaubet heraus was euch gefellt. Wer will hie Scheidesmann seyn? Paucis interjectis: Und ich will mich in solche Disputation nicht begeben / denn ich weiß / daß da kein Ende seyn würde / und zuletzt wir eitel ungewiß Ding / verlorne Arbeit und Zeit behalten müßten / Sie sind zu geel umb den Schnabel die jungen Papierklicker / und gar zu unversucht / daß sie meynen was sie lesen und imaginiren / das müsse also seyn / und alle Welt anbeten / so sie doch noch nicht das A / B / C / weder in der Schrift können / noch in den Vätern oder Conciliis versucht haben. Hactenus Lutherus.*

Brev. Extens.  
cap 18. th. 30.  
Tom. 7. Jen.  
Germ.

B

V. Sed

Vel de utili-  
tate Com-  
mentario-  
rum.

Constituitur  
verus contro-  
versiae status.

Conclusio 1.

V. Sed ut eò, unde digressi sumus, revertamur, uti eum  
aversor excessum, qui Exegetica Patrum scripta omnis sacrae  
interpretationis normam statuit; ita sub quaestione minimè  
voco, *An utiles sint commentarii Patrum ad investigandam con-  
firmandamque hujus vel illius dicti sacri interpretationem, ita  
quidem, ut leges interpretationi praescribi solita, & inter eas, fon-  
tium intelligentia & parall. lorum collatio primas teneant.* Quin  
potiùs nos Lutherani arripimus eos non sine veneratione qua-  
dam, & gratâ mente fatemur, nos ab iis non rarò ad intelle-  
ctum plurium Scripturae locorum deduci, ut & novitatis su-  
spicionem à vera interpretatione sic depellere. Quâ fine etiam  
studium Antiquitatis Ecclesiasticae uberiores ab iis, qui alios  
ex cathedra scholastica aliquando docturi sunt, culturam me-  
reri largimur, Et praecipunt de eo, qui Methodos Studii Theo-  
logici concinnârunt B. Gerhardus, Dn. Praeses aliique.

VI. Ut itaque verum controversiae statum tandem eruam-  
us, tenendum est, id vocari potissimum in dubium, *An con-  
sensus Patrum, quantum is ex residuis hodie ipsorum scriptis, haec-  
enus ostendi potuit, & quidem potissimum eorum, qui prioribus M.  
seculis floruerunt, ad S. Bernhardum inclusivè, sit infallibilis?* Et  
quidem cum iidem Patres vel partes Doctorum susceperint,  
quid verum & falsum sit, definiendo; vel *Interpretum*: expli-  
cando sensus Scripturae, ex quibus articuli fidei deducuntur;  
vel *Historicorum*, non, quid fieri conveniat, sed quid factum sit  
commemorando, controvertitur: *An ipsorum universalis, in uno  
adductorum consensus sit infallibilis, & divinam fidem faciat?* A  
quarum disquisitionum determinatione pendet decisio illius  
controversiae: *An Patrum consensus habendus sit pro norma qua-  
dam secundaria, seu principio secundario argumentandi in rebus  
fidei, non tantum quoad hominem, sed ad rem quoque?* Quò spectat  
insuper homogenea quaestio: *An talis consensus, ejusque investiga-  
tio sint absolutè necessaria media ad veritatem credendorum sive  
demonstrandam sive tuendam?* Nos Orthodoxiae sequentibus con-  
clusionibus aperire constituimus.

VII. Concl. I. *Consensus Patrum quantum is etiam summâ  
qua in hominem cadit solertiâ atque industriâ haecenus investigari  
potuit,*

potuit, nec in definiendo, nec in commentando, nec in testificando de rebus fidei est infallibilis. Opposita est hæc Conclusio maximam partem secus sentienti Jesuitarum phalangi, nec non quibusdam aliis eorum sequacibus. Dixi notanter, *maximam partem*, quia Pontificii Scriptores sibi non magis hac in parte constant, quam Polypus constat. Alii enim ex professo & datâ operâ infallibilitatem Patrum etiam omnium oppugnant; alii qui nimiam Patrum autoritatem strenuè asseruerunt, mox ubi ad explicationem loci alicujus Biblici, aut tutelam cujusdam dogmatis ventum est, eâ constringi nolunt. Quâ in re demonstrandâ præclarè mihi otium fecerunt *B. Gerhardus, Thomas Mortonus, Jacobus Laurentius*. Ne tangam quod ipsimet, ad Pontificis Rom. autoritatem stabiliendam, ei que omnem infallibilitatis apparatus exclusivè uni soli vendicandum, defectum evidentis consensus in Scriptoribus elapsorum seculorum, sive omnibus, sive quibusdam propugnant. Videatur Vasquez. Thomas Aquinas disertè ait: *Probabiliter saltem argui Doctorum autoritatibus*. Thomas de Vio, quem Cajetanum vulgò nominant, *omnium antiquorum autoritatem aliam quam humanam fidem non facere*, etiam evincere laborat apud Canum. Qui miris modis paratragœdiatur de Cajetano laudes subinde vituperiis miscens. Sed Cajetani rursus patrocinium suscipere non verentur *Andræus & Bannes*, in simul dictitantes: non solum Cajetanum, sed multos alios in Papatu sic docere: *Quod omnes omninò Dd. Ecclesie simul sumti errare quidem possint in sentiendo, sed dubitare saltem; utrum omnes omninò simul sumti errare possint in docendo?*

IIX. Cœterùm Il. apud quos Patres utramque paginam faciunt, & cum primis ille famosus Apostata, *justus Calvinus Veteracastrensis*, in editione VI. Tractat. de Prescriptione adv. Her. præeuntem sibi hac in re fingunt antiquum, ut vocant, scriptorem *Vincentium Lirinensem*. In quo mirificè sibi complacent Pontificii, & post tertium quodque verbum hoc in negotio ex ejus Commonitorio recitant sequentia: *Quod non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id*

Notatur Pontificiorum inconstantia.

Confess. Cathol. part. 2. Apol. Cathol. Lib. 2. c. 12.

De subdola Rom. Eccles. adv. Pat. Rev.

Tom. 1. in Thomam disp. 12. c. 1. n. 2.

Part. 1. Summ. q. 1. art. 8. Comment. in Gen.

Lib. III. Loc. c. 3.

Lib. 2. defens. ad 6. Gen. Trad.

In 22 q. 1. art. 10. dub. 3. concl. 3.

Adv. Prof. omnium heres. novit. cap. 4.

Lib. I. Histor.  
Pelag. cap. IX.  
Quâ occasio-  
ne scriptum  
Lirinensis  
Commonito-  
rium.

sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum. Verum  
enimvero (1.) rectè observavit *Gerhardus Johannes Vossius*: To-  
tum illud *Vincentii Commonitorium* sub ficto nomine *Pere-*  
*grini*, in odium & contumeliam sancti *Augustini* scriptum  
esse, cujus doctrinam de prædestinatione, & divinæ gratiæ di-  
spensatione, an sã *Commonitorii* sub nomine *profanarum vo-*  
*cum & novitatum* exagitat, eiqve *Cælestini* & *Xysti Papparum*  
Epistolas ad Gallos scriptas calumniosè opponit; Econtra so-  
ciennos & conterraneos suos *Faustum*, qui in Monasterio *Leri-*  
*nensi* *Vincentii* Abbas fuerat, & *Cassianum*, *Semipelagianos*  
*Massilienses*, nullo indicio carpit. *Gennadius* autem identi-  
dem *Massiliensis* & *Semipelagianus*, atqve etiam socius ac  
coætaneus *Vincentii*, non solum hos complices suos effusè  
laudat, sed *Augustinum* quoque & *Prosperum* vituperat, quòd  
ille ex multiloquio peccatum non effugerit; hic in *Cassiano* damnet  
illa tanquam noxia, quæ *Ecclesia Dei* (*Semipelagiana* scil.) probeat  
tanquam salutaria.

Lib II. cap.  
alt.

IX. Hos ipsos autem *Massilienses* fuisse eos, qui contra *Aug-*  
*ustinum* *Antiquitatem*, *Antiquitatem* crepaverint, qui *Cælestini*  
Epistolam contra *Augustinum* pro se interpretati fuerint, tam  
est clarum ex *Hilarii* & *Prosperi* identidem *Gallorum* ad *Augu-*  
*stinum* scriptis Epistolis, ut negari nullâ ratione queat. *Contra-*  
*rium* putant, scribit ad *Augustinum* *Prosper*, *Patrum opinioni* &  
*Ecclesiastico consensui* quicquid in eis (libris tuis) de *ratione Electo-*  
*rum secundum DEI propositum*, disputasti. Iterum: *Obstinationem*  
*suam* *vetustate* defendunt. *Hilarius* ad eundem: *Novum* & *inutile præ-*  
*dicationsi* ajunt, quod quidam secundum propositum electi dicuntur.  
Neque aliâ fini dixit *Vincentius*: *Se necessarium* judicasse *Xysti* &  
*Cælestini* Epistolas hic quoque, interponere, quæ tanquam ea quæ attulerat  
cumulatè abundeque, sufficerent ad *profanas* quasque *novitates* obruen-  
*das* & *extinguendas*. Nec aliâ fini proposuit prolepsin illam: *Hic*  
*aliquis* fortasse addubitet; *Quinam* sint illi quos habere prohibet (*P. P.*  
*Cælestinus*) *liberum pro voluntate sermonem*: *Vetustatis prædica-*  
*tores*, an *novitatis*? ut ostenderet videlicet, *Cælestini* *Romani*  
*Episcopi* Epistolam contra *Augustinum*, pro se, *Fausto*, *Cassia-*  
*no* & sociis scriptam esse. *Quam* calumniam & *sycophan-*  
*tiam*

etiam Prosper cap. ult. libri adv. Collatorem (is Cassianus erat,  
 qui identidem *Collationes suas*, dissimulato nomine Autoris  
 conscripserat) prolixè refutat ostendens: Cælestini ellogium,  
 quod Augustini scriptis tribuit, in illa ad Gallos Epistola, non  
 esse restringendum *ad priora Augustini scripta*, exceptis iis, quæ  
 de Prædestinatione & Gratia elaboraverat (ut calumniabantur  
 Massilienses) & tandem concludit: *Agnoscant calumniatores  
 superflua se objicere, quod his libris (Cælestini & Xysti) non speciale,  
 neque discretum testimonium sit perhibitum &c.* apud Vossium  
 l. d. cap. 10. Et cap. 39. lib. 1. exagitat Vincentius, quod Augusti-  
 nus Epist. 19. ad Hieronymum, cientem pro se VII. omninò Do-  
 ctorum testimonia scripserat: *Pro his omnibus & supra hos omnes  
 occurrit mihi Paulus Apostolus &c.* Vincentius ex opposito in-  
 fert: *Quicquid verò, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episco-  
 pus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra  
 omnes senserit, id inter proprias, & occultas & privatas opiniones  
 secretum sit, nec cum summo aeternæ salutis periculo unius hominis  
 sectemur errorem.* Ecquæm voluit pungere his verbis Mo-  
 nachus, nisi notorium & celeberrimum antagonistam ejus  
 temporis, *Augustinum*, ejusque sequaces Prosperum, Hilarium  
 &c? Et hoc ipsi quoque Pontificii Scriptores agnoscunt. Le-  
 gatur *Cornelii Jansenii Yprensii Episcopi* liber de hæresi Pelag. cap. 17. seqq. Et vel ex hac ipsa insectatione doctrinæ Augusti-  
 nianæ constat, eundem esse *Lirinensem* illum *Presbyterum*, qui  
*objectiones Vincentianas* à Prospero confutatas, pro Semipela-  
 gianis contra Augustinum edidit, quum easdem objectiones  
 à consensu Doctorum & Episcoporum collectas, contra Augu-  
 stini doctrinam jactitet. Quod enim *Cardinalis Baronius* fingit,  
*non esse eundem Vincentium*: quia *Commonitorii* autor fuerit  
 Monachus alter Presbyter, Gennadio teste, & *Lirinensis* da-  
 mnet quoque Pelagium cap. 34. id cardinalitiæ temeritatis ar-  
 gumentum est. *Gennadius* namque utrumque expressè vocat  
*Presbyterum*. Atque ipsi Semipelagiani damnabant Pelagium,  
 ut invidiam hæreseos à se declinarent. *Baronium* sequutus est  
*Vasquez*. Suarez autem ait: *Sibi non esse certum, quod Autor  
 objectionum Vincentianarum sit alter ille Vincentius, quem*

Scriptum esse  
 in odium Au-  
 gustini Ponti-  
 ficii agno-  
 scunt.

Ad an. Christi  
 431. n. 18. &  
 in Martyrol.  
 ad d. 24. Maji.

Tom. 1. in  
 Thom. disp.  
 81. cap. 8.

Proleg. V. de  
Gratia cap. V.  
& XVIII.

Lib. 4. Critici  
cap. 24. edit 4.  
Genev. p. 468.

Gennadius ait, in quosdam Psalmos scripsisse commentarium.

X. Facere non possum quin horum accersam Andreae Rivetti celeberrimi inter Calvinianos Theologi censuram in Vincentianum illud *Commonitorium*. Sic autem ille: Hoc tantum notandum, Vincentium illum justam semipelagianismi suspitione laborare, qui tum vigeat in illo monasterio; & forte eundem fuisse qui Objectiones illas proposuit, quas Vincentianas appellat Prosper, easque refellit. Et certe videtur, quamvis nomine suppresso, adversus Augustini auctoritatem munire suos voluisse; Quamvis sanctus & doctus, inquit, quamvis Episcopus &c. Habet autem calumnias Pelagianorum adversus sanam de gratia doctrinam, impingens Orthodoxis, quos hereticos appellat, cap. 37. quod asserant personalem gratiam, sibi, promittant vitam aeternam sine labore & studio, etiamsi nec petant, nec querant, nec pulsent, quae verba manifestè diriguntur adversus Canonem Concilii Arausicani. Et cap. 43. eos notat, quos dicit apud Celestinum criminatos fuisse quasdam Urbes & Provincias Galliae, tanquam Semipelagianismo faventes. Fuerunt autem hi quos intelligit Prosper & Hilarius Augustini discipuli & fautores. Suspectae etiam merito sunt laudes, quibus hunc autorem effert Gennadius ex eadem secta, quod liquet ex elogio quo Ruffinum Aquilejensem, qui Pelagianorum fuit Patriarcha, celebrat in eodem libro in quo Hieronymo iniquior est, propter suum Ruffinum; & Augustino maxime, cujus lucubrationes deprimit. Ut merito Vir doctissimus Job. Daille Pastor Ecclesiae Parisiensis, miretur audaciam Cardin. Perronii, qui Vincentium illum de heresi suspectum, sanctum appellat: notetque non sine causa Vincentium, illum tantopere Patrum judicia commendare, cum notum sit Pelagianos & Semipelagianos eorum auctoritate obruere Augustinum voluisse, eò quod ante exortam heresin Pelagianam plerique eorum satis imprudenter de iis capitibus, de quibus postea controversia mota est, fuerint loquuti. Sed dignum est lectoris attentam consideratione totum caput secundum lib. 2. de usu Patrum, quem vir doctus edidit Galliae, in quo docet aperte, quam perplexus & intricatus sit Vincentius ille, in sua Regula dirigenda, & quot exceptionibus proprium suum scopum evertat. Haec Rivettus.

XI. Sc-

XI. Secundò, ipsum verò Tractatum Lirinensis quod attri-  
net, redit ille profectò in circulum, nec par est emolendo isti  
oneri quod suscepit. Vult premere sententiam Augustini,  
Prosperi, Hilarii, aliorumque orthodoxorum, suspicione falsi-  
tatis duplici nomine (1.) quia nova fit, (2.) quia paucorum fit; ideò  
opponit illis *Antiquitatis & consensionis universalitatem*. At  
quia videbat universalem illam negationem: *Nemo ante Au-  
gustinum ita sensit aut scripsit*: arrogantiæ plenam esse, neque il-  
lam negativam rei contingentis & non improbabilis, facile  
creditum iri Monacho Lirinensi, nisi per inductionem suffi-  
cientem omnium & singulorum Doctorum eam probâset,  
ideò restringit universalitatem tum Antiquitatis, tum con-  
sensus inter præsentis & defunctos Doctores, *ad plurimos &  
precipuos* mox cap. 3. *Si in ipsa vetustate omnium, vel certè pene  
omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, senten-  
tiasq; sectemur*. Iterum cap. 38. *Si quando pars contra universita-  
tem, novitas contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dis-  
sensio, contra omnium, vel certè multò plurium Catholicorum con-  
fessionem rebellaverint, præferant partis corruptioni, universitatis  
integritatem*. Porro cap. 39. *Quicquid vel omnes vel plures, uno  
eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter &c. firmave-  
rint, id pro indubitato, certo, ratioque habeatur*.

XII. Rursus cap. 3. & 38. ubi diversos casus proponit, in illo  
casu, quando neque Antiquitas, neque universalitas patrocini-  
nantur prorsus *ἀκατέλητον* suggerit consilium. Nam ait:  
*Hoc demùm non fore necessarium creditu; sed c. 3. Majorum senten-  
tias esse conferendas, & quod non unus aut alter, sed omnes pariter  
uno eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuerunt,  
scripserunt, docuerunt, id sine dubitatione credat*. At verò quod  
tale est, jam universale est. Et non quadrat responsio quæstioni  
propositæ: Quid sequendum, si tale aliquid emergat, ubi nihil  
hujusmodi (neque universalitas, neque antiquitas præjudicio-  
rum) apparet. Cap. 38. ait. *Ubique neque antiquitas, neque univer-  
salium Conciliorum decreta patrocinantur, si id minus est, sequantur  
quod proximum est; Multorum atque magnorum consentientes sibi  
sententias Magistrorum &c. quod profectò ἀκατέλητον est. Qui-*  
nam

Quid de ipso  
tractatu statu-  
endum.

Canus Episcopus  
Canariensis Lib. VII.  
loc. c. 3. concl.  
3. Plurium san-  
ctorum autori-  
tas reliquis li-  
cet paucioribus  
reclamantibus,  
firma argu-  
menta Theo-  
logo prestare  
non valet.

Hier. contra  
Lucifer. &  
Joan. Hiero-  
sol.

Vincent. lib.  
1. cap. 6.

nam erunt illi ex confesso multi & magni? Quam restrictio-  
nem & alterationem universalis in particularem: seu *alterna-  
tionem Universalis cum particulari propositione*, neque Augusti-  
nus, neque Pontificii ipsi, nec quisquam sanus isti monacho  
concedent. Supponit: Tam pauciores illos, quam plures illos  
qui invicem dissentiunt, quando incipiunt dissentire, esse in  
visibili coetu Ecclesiae Catholicae, & utrinque gaudere praesum-  
tione publicae Orthodoxiae. Quae autem insania est, quando in  
toto colectivo fit separatio moralis, minoris partis a maiore,  
vel majoris a minore, *solam eam partem retinere sanitatem, quae  
retinet maiorem quantitatem?* Ecquis est essentialis nexus inter  
qualitatem spiritualem sive sanae fidei, & quantitatem discre-  
tam, quae est major numerus hominum in visibili coetu Chri-  
stianorum constitutus? Annon erat major numerus Arriano-  
rum separantium se a Catholicis, quam Catholicorum manen-  
tium in fide pristina? Certè, si *Hieronymo* ipsique *Vincentio* cre-  
dimus. Itaque omninò falsa est *Vincentii* illatio; plurium  
consensum praefendum esse consensui pauciorum, si Anti-  
quitas ipsa inter se dissentiat.

XIII. Si autem solam maiorem partem sententiarum  
conjunxerit cum antiquitate, cujus initium facit ab Apostolis  
& Apostolicis Viris, iterum devolvetur quaestio ad quantita-  
tem & qualitatem Antiquitatis: An nullos habuerit asseclas  
inter Apostolos & Apostolicos Viros illa sententia, quam pars  
minor habet pro erronea? Apostolorum indubitatum suffra-  
gium aliunde haberi nequit, nisi ex illorum scriptis; ubi dela-  
bendum est ad interpretationem Verbi scripti, ad Grammati-  
cam, ad leges interpretandi, ad scopum, ad occasionem dicen-  
di. Apostolicorum virorum, id est, discipulorum testimonium  
(1.) non erit indubitatum quoad *absolviam*, seu quoad esse phy-  
sicum, an sint Apostolicorum Virorum? (2.) quoad autoritatem  
moralem, seu facultatem faciendi fidem indubitatam. (3.) in  
iis quae controversantur inter partem numero maiorem & mi-  
norem, non erit allegatum testimonium satis evidens. (4.) non  
erit exclusivum ejus, quod pars altera habet pro erroneo, sed  
vel diversum, vel subordinatum, vel compatibile, neque  
con-



concedetur esse contradictorium. (5.) denique carebit iustā universalitate, id est, inductione omnium & singulorum Virorum Apostolicorum, qui inde ab Apostolis, usque ad horam cæptæ litis inter partem majorem & minorem, extiterunt, quòd isti singuli sic senserint sicut pars illa sentit, quæ se orthodoxè sentire putat, aut quòd omnes & singuli contrarium ejus senserint, quod sentit pars, quam pars habet pro erronea.

XIV. Si excipis: quod non extat scriptum de Viris Apostolicis, hoc non præsumuntur sensisse: Negabit Adversarius consequentiam, quia nullum divinum mandatum aut promissio extat, oportuisse aut fore, ut omnia scribantur, & ad analysin mundi supersint, quæ singuli Doctores Ecclesiæ inde ab Apostolis circa fidem senserunt. Deinde, quàm non licet præsumere de sensu ullius Doctorum, quod senserit cū parte errante, cujus Doctoris verba non extant; tàm non licet negare de omnibus Doctoribus, quod ullus illorum senserit cum parte errante, nisi symbola aut conclusa ubiq; terrarum recepta extant, in quibus dogma illud quod pars errans tuetur, anathemate percussum sit. Circa definitionem autem eorum, quæ hisce symbolis, aut ejusmodi ubiq; Christianitatis receptis decretis clarè definita non sunt, provocare velle sive ad potiore, sive ad puriorem partem Doctorum, merus circulus, mera ludificatio est.

Non juvas  
excipere.

XV. Neque verò alius & grandior Lirinensis error hic dissimulandus est: *Quod interpretationes sacrarum literarum à Patribus conscriptas, non solum ordine prius apponendas esse docet ad hominem, quando Novatores scripturam objiciunt, illiq; per modum Exceptionis respondendum est; sed quod illas etiam in Didascal: a & Elencho præferendas esse docet Scripturarum testimoniis, quando certus esse cupio, utra interpretatio dicti Scripturae sit verior, cap. 2. & 39.* Neque usquam modi herminevici meminit, qui ex proprietate phrasos authentica, ex scopo, connexione, parallelis phrasibus & rebus deducitur, sed quia Scriptura pro sua altitudine non uno eodemq; sensu à Novatiano, Photino, & c. accipitur, ideo necesse est, ut Prophetica & Apostolica interpretationis

C

linea

linèa, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur &c. statim interpretando Canonum majorum sententiæ congreganda sunt &c. Quod erroneum est tum de Didascalix, tum de Elenchi ordine. 1. Thess. 2. v. 13. 2. Tim. 3. v. 15. 16. Matth. 13. v. 29. cap. 4. v. 4. seq.

XVI. Ex quibus hæctenus allatis luculentissimè constat, non tantum qualis fuerit *Vincentius Lirinensis*, quem se præcuntem habere jactant Pontificii; vel etiam quâ finem *Commonitorium* suum conscripserit; vel denique quâ probe rem acu tetigerit: sed illud quoque, *ἀπεγοδιούτως* allegari Lirinensem & de aliis interrogatos de capis respondere Pontificios. Loquitur Lirinensis non de solis Doctoribus, quorum scripta extant; neque de modo quascumque hæreses revincendi, sed loquitur solummodo de novis dogmatibus, tanquam ad credendum necessaria propositis, non recipiendis, ob defectum consensus vel omnium vel plurium: ubi dilatata & inveterata hæreses fuerint, nequaquam hac viâ aggredienda sunt, ait, eò quòd prolixo temporis tractu longa iis furanda veritatis patuerit occasio. Atque, ideo quascumque illas Antiquiores vel schismatum, vel hæresium profanitates nullo modo nos oportet nisi aut solâ, si opus est, Scripturarum auctoritate convincere, aut certè jam antiquitus UNIVERSALIBUS Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas, damnatasque vitare &c. Applicentur hæc ad modum expurgandi inolitum illud Papismi fœtorum, & revincendas inolitas superstitiones, & apparebit, quàm non quadret Lirinensis consilium de novis hæresibus in herba suffocandis ad remedium Papismo faciendum. Quæ omnia mirum est non animadvertisse eos, qui Vincentii Commonitorium legerunt, & relegerunt.

XVII. Notatâ hæctenus Romanensium inconstantiam, & ostenso quid de Vincentii Lirinensis, quod tantoperè jactitant, suffragio sentiendum sit, proximum est, ut orthodoxam & puriorem Theologorum sententiam exponamus. Illa autem constanter fuit, & etiamnum est: Patres sive omnes, sive pluresque, etiam si circa aliquam rem, vel etiam inter se in testificando, definiendo, interpretando consensiant, non tamen ullatenus gignere si-

dem

dem divinam, sed tantum humanam, quæ stat cum formidine oppositi, ne falsum subsit; atq; adeò probabilem & historicam, quæ nititur eruditione & pietate Patrum, quatenus illi fuerunt viri in Ecclesia conspicui. Qualem de rebus Romanorum aut Græcorum faciunt Livius, Herodotus, &c. Ut hac ratione à consensu Patrum in aliquo dogmate ad Apostolicam Traditionem infallibiliter concludi non possit, quod volunt Pontificii. In tam grandi enim autoritatis solium nec ipsi se Patres, nec promachi nostræ religionis eos unquam collocavere. Formalia Patrum verba subsolarunt Pl. Reverendus & Excell. Da. Præses, Jacobus Laurentius, Dilherrus. Et de Augustino quidem res adeò clara est, ut radiis Solis scripta videatur. Nec ullo jure Augustinum in contrariam partem allegat Melchior Cane, eò quod dicat: *Sacros libros sine aliqua ope legendos non esse.* Quantum hoc, Cane, cadaver consequentiæ est? Augustinus in Sacrorum librorum tractatione alios interpretes consulere svadet, Ergò Patrum in interpretatione aliqua consensum infallibilem statuit? Nec responsionem meretur illa Stapletoni replica: *Patres de suis scriptis ita locutos esse modestiæ causâ: quia si aliter fecissent, & sibi credi postulassent, non fuissent fide digni.* Formula Concordiæ ab initio Epitomes nullâ factâ distinctione inter singulorum & universorum Patrum scripta, totum illum consensum ita subjicit Scripturis, *ut aliâ ratione non recipiatur, nisi humani testimonii loco.* B. Chemnitius pariter adjuvari nos & confirmari veteris Ecclesiæ testimonio grato animo fateatur, sed immediatè subnectit: *Fidem verò oportet niti verbo Dei, non humanâ autoritate: ideò Patrum testimonia non præferimus, sed subjungimus Scripturæ.* Et ad 6. genus Trad. omnium veterum simul sumptorum testimonia sæpius vocat *humanam, non divinam fidem facientia.* Paria dicit, ut alios præteream, B. Gerhardus, *Patres lumina non Numina, indices non iudices veritatis constituentes.*

XVIII. Nititur hæc purior nostratium Theologorum sententia (1) defectu principii infallibilitatis. Unde enim probatur ista infallibilitas, quæ præsumi debet de Patrum scriptis & testimoniis? Num subjecta ipsa, videlicet Patres

Ad calcem  
cap. 18. Brev.  
Repetit.

In tract. de  
irrev. Pontif.  
erga Pat.

Præfat. ad  
Consol. Boc-  
thii.

Loc alleg.  
In lib. de u-  
til. cred. ad  
Honoratum.

In Relect.  
Princip. Eccl.  
Dogm.

Part. 1. Exam.  
Conc. Trid. de  
Tradit.

In Loc. de  
Eccl. n. 203.

Orthodoxæ  
sententiæ fun-  
damentum pri-  
mum.

Non potest  
probari sin-  
gularum Pa-  
trum infalli-  
bilis.

Rom. 3. v. 4.

Non tollitur  
nativa inha-  
bilis.

Lib. 8. de A-  
mal. cap. 8.

2. Pet. 1.

Lib. II. Loc.  
cap. XIII.

fuerunt infallibiles Doctores? Certè hoc necessarium fuerit, quia *testimonium suam auctoritatem à dicente accipit*. At recurrit eadem quæstio, *quæ dicitur Patres hæc auctoritate, ut quod ipsi vel dicerent, vel historicè testarentur, esset authenticum, & prorsus indubie fidei?* Singulos enim non esse infallibiles ipsi Papistæ concedunt, & svadent manifestæ rationes. Quippe obstat inhabilitas ad infallibiliter vera scribendū, orta *tum ex absentia perfectæ cognitionis quæ errare & falli nequeat; tum perfectæ probitatis, quæ in propositione rei cognita alios fallere nolit & nequeat; tum deniq; perfectæ evidentie in referendo, ut obvius sit cuius verus dictorum sensus.* Γινέσθαι ἡ ὁ Θεὸς ἀληθῆς, πᾶς ἡ ἀνθρώπων & ἡ ἁγίων, juxta Apostoli effatum. Verūm unde tollitur nativa hæc inhabilitas? Non sanè per influxum quendam supernaturalem. Licet enim & suo modo Spiritum Sanctum directorem habuerint, tamen non ut Apostoli *immediatè & infallibiliter* habuerunt. Ut elumbis omninò sit instantia Gregorii de Valentia: *Prophetas & Evangelistas etiam homines fuisse, & tamen infallibiliter vera scripsisse.* Aut probandum est Valentia habuisse perpetuam Sp. Sancti assistentiam, dum luci publicæ subjecerunt sua scripta ex promissione aliqua divina, quemadmodum de Apostolis scimus, locutos fuisse *Φεγγμύρῃς ἀπὸ πνεύματος & ἀγίας.*

XIX. Sed nec ex causa aliqua naturali tollitur ista inhabilitas. Scilicet *vel per eruditionem & peritiam linguarum Orientalium, dexteritatemq; interpretandi sedes articulorum fidei cardinales; vel per oralem traditionem Apostolorum & Apostolicorum virorum, à quorum ætate propius absunt, qui intra proximum à Christo nato seculum vixerunt.* Nam, quod fatetur Canus, *caruit maxima Patrum pars peritiâ Hebraicæ lingvæ. Ex Græcis Dorotheum, Originem & Eusebium Hebraicam linguam legimus calluisse, ex Latinis autem præter Clementem & Hieronymum vix alius quispiam Hebraicas literas novit.* Atque adeò præcipue interpretationis medio destituti fuerunt. Quod quantum obfuerit eruendæ veritati, justini, Athanasii, Epiphani *παρρησιαστικῶς*, quando ad ejus ævi adversariorum objectiones respondendum est, luculenter ostendunt. Et porro propinquitas

tas illa scriptorum primi seculi eò minus facere potest præ-  
sumtionem infallibilitatis, quò pluribus sciant erroribus illa  
scripta, quorum auctores propiores fuisse feruntur Apostolica etati:  
ne tangam, quoad interpretationem locorum Scripturae, methodum  
& facultatem disputandi, longè superari Patres primi & secun-  
di seculi, ab iis, qui 4to & 5to scripserunt. Nec tutari possunt  
ipsimet Pontificii Artic. de SS. Trinit. ex publicis priorum III.  
seculorum scriptis. Ex quo patet, nec à priori nec à posteriori  
demonstrabilem esse infallibilitatem singulorum Patrum.

XX. Verùm enim verò nec universorum simul sumtorum  
infallibilitas à priori demonstrari potest. Nam totum ho-  
mogeneum est ejusdem, non contrariæ qualitatis cum suis  
partibus integrantibus. Doctores autem singulos esse par-  
tes homogeneè integrantes totum cœtum Dd. simul sumto-  
rum, nemo infitias ibit. Sed hîc recurrunt ad *promissionem*  
*quandam divinam, divinamq; voluntatem sic ordinantem, ut, quod*  
*per se fallibile est, fiat infallibile.* Quam extare dicunt in sequen-  
tibus Christi & Apostoli dictis Matth. XVI, 18. *καὶ πύλας ἀδης*  
*ὄ καὶ κλιτύσιν αὐτῆς.* 1. Tim. III, 15. *ἡτις ἐστὶν ἐκκλησία θεῶν*  
*ζώντων, σὺλθ' καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας.* Præsumit etiam  
Dominicus Gravina minuente Patrum auctoritatem his dictis  
revincere. Eccles. 39, 1. *Sapiens sapientiam antiquorum omnium*  
*exquirat.* Prov. 22, 28. *Ne moveo terminum antiquum, quem ap-  
runt Patres tui.* Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Addit, Gregor.  
Nazianzenum exemplificare de uno Basilio, quòd scribendo aut in-  
terpretando Dei verbum, calamum quasi ex Spiritus pyxide moverit.  
Et notandum est, eundem Gravinam auctoritatem Scripturae  
subordinare, ut universale principium, universalissimo. Cæterùm  
extra rhombum allegantur hæc sacra Scripturae testimonia.  
Non enim agunt de Doctoribus seorsim à reliqua plebe Chri-  
stiana sumtis, de quibus hîc quæritur: nedum de minima eo-  
rum particula, qui literis aliquid mandarunt. Et, ut ὅς ἐργον ποιεῖτε-  
ργον faciam, quæ à Dominico Gravina allegantur, id solummo-  
dò evincunt: *Antiquorum opiniones & scrutandas & baud re-  
verè suggillandas esse; minimè verò sine omni veritatis scrutinio*  
*arripiendas esse contendunt.* Aliàs oggeretur illud ipsius Epi-

Nec univer-  
sorum.

Frustra re-  
curritur ad di-  
vinam volun-  
tatem.

De Præscr.  
in Proleg. c.  
X.

Orat. in ejus  
laudem.

Ca

scopi

Loc. Theol. scopi Canariensis : *Quadringenti Prophetae & Achab mentiti sunt*; ex ore verò Michea solius quidem & contemptibilis veritas egressa est, &c. Quò referri aſſolet v. 2. cap. XXIII. Exod.

XXI. Promiſſiones autem ſupra allegatae, ex Matth. XVI. & 1. Tim. III. de infallibilitate Eccleſiæ in ſentiendo & proponendo, quia pro ſubjecto totum fidelium cœtum ponunt, non ſolos Doctores, nedum primitivæ Eccleſiæ ſolos ſcriptores, privilegio donant, de quibus quæritur; quod ſuo loco à noſtratibus fuſſimè demonſtratum eſt. Fatentur idipſum ex adverſariorum grege nonnulli apud Dn. *Præſidem* loc. alleg. 8. 24. Quare perperam axiomata Tori aggregato collectivè ſumpto competens, ad claſſem ſolorum ſcriptorum extantium extenditur. Neque valet de toto integrali Canon Philoſophicus: *Quicquid prædicatur de toto, prædicatur etiam de partibus*: ut hac in parte Canon ille rectiùs negativè proferatur. Ad Gregorii Nazianzeni verba repono illud *Senenſis*: *Multa* (Patres) *declamatores* (qualem illic agit Nazianzenus commilitoni ſuo ſupremas laudes dicens) *per hyperbolen crebro enunciant & inculcant, vel occasione temporum, locorum, & perſonarum adducti, vel affectuum impetu & orationis curſu rapti.* Quanquam illud ipſum Baſilio tributum encomium impeccantiæ aut inerrabilitatis privilegium ipſi nequaquam tranſcribit. Rationes quas pro infallibilitate Patrum ab incommodo, abſurdo, indecoro, promiſſione contrariâ, naturâ Evangelii, & Patrum eruditione depromit *Melchior Canus*, conflictui ipſi brevitatis ſtudio reſervamus, jamdudum protritas à Chemnitio, Wittakero, & nuper in Panſtratia Chamieri.

Biblioth. lib. XII. annotat. 152.

Tom. I. lib. 36. cap. 9.

Orthodoxæ ſententiæ fundamentum ſecundum.

Probatum non eſt eſſentia conſenſus primò.

XXII. Refellitur eadem Cani & Marci Antonii opinio (2.) *ex nullitate, ſeu non eſſentia jactati illius conſenſus.* Si enim non poteſt haberi omnium primitivæ Eccleſiæ Dd. conſenſus, nec infallibilitas ejus oſtendi poterit, cum non entis nullæ ſint affectiones. Sed exſculpi hæcenus nequæ hujusmodi conſenſus, etiam adhibitâ ſummâ quæ modò potuit, diligentia. Probatum hoc (1.) quia multi Patres & quidem maxima eorum pars nihil ſcriptorum reliquerunt.

Quod

Quod Papistæ ipsi non tantùm fatentur, sed etiam urgent  
quàm maximè contra sufficientiam horum scriptorum,  
etiam simul sumtorum: nempe, ut partes sufficientis iudicis  
controversiarum soli Romano Episcopo vendicent. Vide Greg.  
de Val. & Tannerum. Unde ergò istorum consensus consta-  
bit? Imò verò ex discrepantia paucorum illorum scripto-  
rum, quæ supersunt, non conjecturam, sed violentam præsum-  
tionem capere oportet, si omnium & singulorum sententiæ  
nobis innotescerent, plures Patrum inter se dissensuros esse,  
quàm hodiè fortassis consentiunt. (2.) Quia ex iis quæ in  
lucem emissa sunt temporibus primitivæ Ecclesiæ, scriptis,  
multò major pars interiit, quàm injuriâ temporum erepta  
est, testibus Catalogis de Scriptoribus Ecclesiæ Hieronymi, Isidori,  
Gennadii, Photii, Posssevini, aliorumq.

XXIII. Præstat hîc aures vacivas cordato iterum B.  
Lutheri iudicio præbere, qui providentiæ divinæ potiùs ad-  
scribit, quòd haud exigua scriptorum Ecclesiasticorum pars  
persum ivit, ne homines scil. impendendum sacræ scripturæ  
lectioni ac scrutinio tempus, Patrum & Conciliorum volu-  
tationi impendere necesse haberent. Vita hominum bre-  
vis est, ars longa. Si industria eruditorum vix par est hodie-  
num extantibus Patrum scriptis, quid futurum, si quæ in-  
terierunt, superessent? Sed ipsa Lutheri verba haud piget ac-  
cersere: Gerne hätte ich gesehen/ daß meine Bücher allesamt  
werden dahinden blieben und untergangen. Und ist unter an-  
dern Ursachen eine/ daß mir grauet für dem Exempel/ denn ich  
wohl sehe was nuzes in der Kirchen geschaffet ist / da hat man  
auffer und neben der Schrift angefangen viel Bücher und  
grosse Bibliotheken zu sammeln / sonderlich ohne Unterscheid/  
allerley Väter / Concilia, und Lehrer aufzuraffen. Damit  
nicht allein die edle Zeit / und studiren in der Schrift versäu-  
met / sondern auch die reine Erkänntnis Göttliches Wortis end-  
lich verlohren ist / biß die Biblia (wie dem fünften Buch Mo-  
sis geschach zur Zeit des Königs Juda) unter der Banck im  
Staube vergessen. Und wiewohl es nützlich und nöthig ist / daß  
solicher Väter und Concilien Schriften blieben sind / als Zeu-  
gen

Lib. 8. de  
Anal. c. 8. &  
in 22. q. 1.  
punct. 7. §. 12.  
Ibid. Disp. 2.  
q. 3. n. 36. seq.

Probatur 2.

Vorrede über  
den 1. Wittenb.  
Theil.

gen und Hlſtorien / ſo dencſ ich doch / eſt modus in rebus , und ſey nicht ſchade / daß vieler Väter und Concilien Bücher durch Gottes Gnad ſind untergangen. Gratia potius Univerſi huius conditori ac rectori Deo agenda ſunt, quòd non Herculeo labore eruendo Patrum ex Patrum ſcriptis conſenſu noſtram in dogmatibus fidei certitudinem inniti voluit, ſed verbo ſcripto. Hoc nos reddere poteſt ἀπελαμώργς atque quadratos : ut anathema dicamus omni vel angelo è cœlis aliud nobis Evangelium annuncianti cum Paulo Galat. 1. v. 8. 9.

Diluitur ex-  
ceptio.

Pag. 443.

Lib. V. con-  
tra hæc. hæ-  
ref. 3.

Præſtantiffi-  
ma ſcripta in-  
tercidiffe fa-  
retur Alphon-  
ſus à Caſtro.

Concinna-  
tur catalogus  
præſtantiffi-  
morum, quæ  
perierunt.

XXIV. Nec juvat excipere : *Intercidiſſe fortæſſis ſcripta quædam, ex uſu futura : at verò præſtantiffima non intercidiſſe : Socini hanc objectionem eſſe &c.* Respond. Quædam à Socino ad-  
verſus Pontificiorum Traditiones non ſine cauſa excipi. Sed neque Socinus cap. 9. contra Wuickum hoc ſcribit : *Optima atq; utiliffima Patrum ſcripta interiſſe, remanſiſſe viliora.* Adſerit tantùm cum dictis catalogis, etiam præſtantiffima, & in comparatione ad reſiduum, numero plurima PP. præſertim Antiquiorum ſcripta intercidiſſe. Atq; hoc fatentur Papiſtæ ipſi, *Alphonſus à Caſtro, Erasmus, &c.* Alphonſi verba ſunt, ubi ad Marcionis perſonam & dogma digreditur : *Hic cum ibidem (Romæ) Polycarpum poſtea Martyrem inveniſſet, ſalutans eum dixit : Agnoſcis me ? cui Polycarpus : Agnoſco primogenitum Satana. Hic præter Evangelium Luca, idq; ab eo circumciſum, nullum Evangelium recepit. Similiter & Epistoſas Pauli Apoſtoli abſci- dit, auferens ab eis, quicquid ſua impietati repugnare videbatur. Contra hunc plures graviffimi autores ſcripſerunt, Dionyſius Corinthiorum Episcopus, Philippus Cretenſis, Hippolytus Episcopus Africanus, Rhoden Aſianus, Irenæus Lugdunenſis Episcopus, Tertullianus. Equibus hi duo ultimi (quod ſciam) ſolùm exſtant.* Haſtenus Caſtro. Quatuor graviffimorum Episcoporum ſcripta ad-  
verſus Marcionem perierunt. Unius Episcopi, ejuſque infe-  
rioris, & unius Oratoris, in Montaniſtarum hæreſin relapſi ſcripta quæ antenus ſuperſunt. Quis autem dubitabit plu-  
rima notatu digna & obſervatu utilia extiſſe in illis IV. gra-  
viſſimorum Episcoporum libris, de Authentia & integritate  
Canonis



Canonis Novi Testamenti, quem Marcion corruerat? De  
Authentiâ & integritate Evangeliorum Matthæi, Marci, Jo-  
hannis, singularum Epistolarum Pauli, & reliquarum Cano-  
nicarum, quas Marcion acciderat? Adversus eundem Mar-  
cionem eadem ætate scriptum *Modesti* librum suâ ætate per-  
severâsse Hieronymus commemorat, aliaque ejus *αὐτῆς*  
*ἀποκρίσεως*, quæ hodie nusquam comparent.

XXV. Ubi mansit ipsius *Vincentii Lirinensis* *Commoni-*  
*torium alterum*? Interiit. Ubi sunt *ille quædam ad quosdam Epi-*  
*stole Sancti Felicis Martyris, & Sancti Julii urbis Romæ* *Episcopo-*  
*rum, quæ in Synodo Ephesina contra Nestorium coactâ prælectæ sunt?*  
Interierunt. Ubi *illa Capreoli Carthaginiensis Episcopi* *Epistola*  
*ibidem prælecta?* quarum meminit idem Vincentius in fra-  
gmentis ex secundo *Commonitorio* reliquis? *Ubi sunt libri*  
*Attici, Antiochi, Amphilocho, Ammonis, Severiani, Theophili, Vi-*  
*tali Episcoporum,* ex quibus Cyrillus quædam lemmata in  
Concilio illo Ephesino contra Nestorium allegabat? apud  
*Binium fol. 49. seqq.* Perierunt. Ubi *Alexandri Episcopi Cappa-*  
*docie & Martyris* *Commentarii in Epistolam ad Galatas,* ex qui-  
bus se profecisse fatetur Hieronymus? Perierunt. Ubi sunt  
*Didymi Alexandrini* *Commentarii in omnes psalmos?* Ubi *Com-*  
*mentarii in Matthæum & Johannem?* Ubi *libri duo de Dogmati-*  
*bus contra Arianos?* Ubi *Tomi octodecim in Jesaiam?* Ubi *libri*  
*tres* *Comment. in Hoseam?* Ubi *libri V. Comment. in Zachariam?*  
& multa alia quæ Hieronymus laudat, *se suggerente & petente*  
conscripta esse? *Nunc solum extat liber ejus de Spiritu Sancto,*  
*isq; inter Hieronymi opera,* ait Cardin. Bellarminus in *Didymo.*  
Ubi plarique *Irenæi Lugdunensis* *libri 1. contra gentes, 2. de disci-*  
*plina, 3. de Apostolica predicatione ad Martianum fratrem, 4. Va-*  
*rii tractatus alii, 5. liber ad Blastum de Schismate, 6. ad Florinum*  
*de Monarchia, sive quòd Deus non sit Autor peccati, 7. Egregius*  
*Commentarius τῆς τῶν ὀρθοδόξων?* Ubi *Pantieni multi in Sacram*  
*Scripturam* *Commentarii,* Hieronymi ætate extantes? *Viri tan-*  
*te prudentiæ & eruditionis, tam in divinis scripturis, quàm in secu-*  
*lari literaturâ exercitati, ut in Indiam rogatus ab illius gentis Lega-*  
*tis, mitteretur, ubi reperit Bartholomæum de duodecim Apostolis*  
*adventum*

In Catalog.  
Scriptorum.

Qualis vir  
Pantienus.

D

adventum Domini &c. juxta Evangelium Matthæi prædicasse, quod  
 Ebraicis literis scriptum, revertens Alexandriam secum retulit?  
 Sunt verba Hieronymi Ubi Rhodonis præcipuum opus contra  
 Marcionem? Ubi Tractatus elegantes in Hexaemeron? Ubi insi-  
 gne opus adversum Phryges? Ubi Pierii Alexandrini divini &  
 tam elegantes Tractatus, de quibus Origenes junior nuncupatus est?  
 Hieronymi certè ætate extabant. Perierunt omnia. De Sal-  
 viani Massiliensis libris quantum periit? quem Gennadius ta-  
 men divinâ & humanâ literaturâ instructum, atq; etiam Episco-  
 porum magistrum appellat. Perierunt Commentarii ejus in Ge-  
 nesin, in Ecclesiastem Homilia, libri de Sacramentis: nec Cujacii,  
 Scaligeri, Pithei, Fabri, Rittershusii plus exsculpere potuerunt,  
 quàm quod anno MDC XXIII. Rittershusius filius edidit.

An Clemen-  
 tis epistola ad  
 Corinthios  
 superfit.

Tom. I. Di-  
 sput. pag. 103.

XXVI. Ne millesima pars illorum scriptorum super-  
 est, quorum autores soli Hieronymus & Gennadius laudant,  
 & quos libros ipsi ab argumentis suis recensent. Ubi Clemen-  
 tis illius, quem Paulus Apostolus ellogio civis in cælo conscripti  
 dignatus est, ad Corinthios scripta Epistola? Qui fragmenta il-  
 la nuper in Anglia reperta, sub titulo prioris & posterioris Epi-  
 stolæ ad Corinthios venditant (cùm Eusebius lib. 3 c. 12. *μιας*  
*unius*, & Hieronymus *unius Epistola*, non epistolarum ad Corin-  
 thios meminerit, in qua ait scriptorem abuti tam sensu, quàm  
 verbis Apostoli Pauli) stannum Anglicanum pro argento ob-  
 trudent. Legatur Patricii junii complexus Gubertus Voetius de  
 Antiquæ Ecclesiæ Doctoribus. Ubi Miltiadis Volumen præcipuum  
 contra Montanum, Priscillam, Maximillamq;? Ubi libri alii ad-  
 versus gentes Judæosq;? Ubi Apologeticum M. Antonio Commo-  
 do datum? Ubi Apollonii viri disertissimi adversus Montanum,  
 Priscillam, Maximillamq; insigne & longum volumen? quod  
 Tertullianus Montanista factus, conatus est allatrare, volumi-  
 ne septimo ex iis, quæ contra Ecclesiam scripsit, propriè adver-  
 sus Apollonium elaborato? Ubi Serapionis Antiodreni Episc. li-  
 bri? Ubi Apollonii Senatoris Romani & Martyris sub Commodo  
 Imperatore insigne volumen pro fide compositum? Ubi Theophili  
 Cesareæ Palestina Episcopi; Ubi Basbyli Corinthiorum Episcopi;  
 Ubi Polycmtis Epbesiorum Episcopi, Heraclii, Maximi, Candidi,  
 Appionis,

*Appionis, Brabiani, Jude, & sexcentorum aliorum priscorum Doctorum libri, in Hieronymi catalogo citati? Occiderunt. Ubi Quadrati Athenarum Episcopi Liber pro Religione nostra compositus, valde utilis, plenusque rationis & fidei, Apostolicam doctrinam dignus: in quo & Antiquitatem suae aetatis ostendens ait: plurimos à se visos, qui sub Domino Jesu in Judea sanati erant, & qui à mortuis resurrexerant? Ad quem librum Hieronymus in catalogo provocat.*

XXVII. *Ubi Aristidis Atheniensis Philosophi eloquentissimi Apologeticus pro Christianis Hadriano Caesari, eodem tempore, quo Quadrati liber oblatus & Hieronymi aetate adhuc perseverans? Ubi Agrippae viri valde docti adversus viginti quatuor Basilidis haeretici Volumina; Dissertationes eadem aetate Hadriani Imp. scriptae: quas identidem collaudat Hieronymus. Ubi Justinii Martyris liber quem Hieronymus Psalterium vocat? Ubi Melitonis Sardicensis Episcopi volumina XIX. de diversis fidei Christianae capitibus, quae Hier. ibidem commemorat? Interierunt. Theophilus Antiochenus scripsit multa ex quibus nunc solum exstant Commentarii in 4. Evangelia. Tatianus, Justinii Martyris Discipulus, scripsit multa, ex quibus nunc solum extat Oratio contra Gentes & Harmonia Evangelica. Hanc tamen Baronius putat esse Ammonii &c. Ubi, inquam, potissima pars illorum scriptorum, quorum Autores numero CXLV. solus Hieronymus in Catalogo à publicis monumentis in Ecclesia relictis commendat? Ubi commentaria illorum XCVI. scriptorum quos Gennadii catalogus adjecit? Certè maximam partem interierunt. Hinc Alardus Wiell Curator novissimae Bibliothecae Patrum, ad seculum secundum ait: Scripta ejus ferè omnia interierunt. Et hujusmodi defectuum notas reperies apud eundem Wiellum per omnia secula. Erasmus autem ita hanc jacturam deplorat: Eruditum, inquam, opus & Hieronymo dignum, sed quod nemo, cui bona litera cordi sunt SINE GRAVI DOLORE legere possit. Nimirum hinc intelliges, EX TOTEGREGIIS CLARISSIMORUM VIRORUM MONUMENTIS VIX PAUCULA QUÆDAM SUPERESSE, EA QUÆ SANE MUTILA DEPRAVATA CONTAMINATA QUÆ. O jacturam verè deplorandam*

In Scholiis  
ad Hieron. ca-  
talogum de  
Scriptoribus.

Erasmi de-  
ploratio ja-  
cturae Scri-  
ptorum,

*randam, si quid perficeretur complorationibus! In hujusmodi thesauris, quibus nihil esse potest pretiosius, & Ecclesiâ Christianâ dignius, quàm dormitatum est ab Episcopis & Theologis! Qui TOT Orbis lumina, TOT insignes fidei nostræ Proceres & Antesignanos, literis eximios, eloquentiâ Illustrés, vitæ sanctimoniâ commendatos, aliquot & martyrio claros intercidere passi sunt.*

'An jactura  
præstantissi-  
morū librorū  
pugnet cum  
diligentiâ ho-  
minū, & DEI  
providentiâ.

XXVIII. Eant nunc, qui pro tuenda infallibilitate scriptorum primorum seculorum desudant, & dicant, *jacturam præstantissimorum librorum manifestò pugnare cum usitata hominum diligentia; partim verò & præcipuè cum divina providentiâ.* Compertum est satis superque perpetuam non esse hominum in asservatione egregiorum librorum industriam, sed aliquando desinere in desidiâ, pro diversis eorum ingeniis, studiisque partium: non enim omnibus omnia placent. Et superatur quandoque ab injuria temporum. Præsertim si perpendantur tot persecutiones, quas Ecclesiâ Christi prioribus tribus seculis perpessa est, & infelicius fuisse tunc tempus, quo Typographiæ ne nomen quidem innotuerat. Quod autem de divina providentiâ affertur proximè à temeritate abest. Ubi enim Deus T. O. M. promisit hanc providentiâ? Quæ necessitatis aut congruæ rationis saltim umbra exigit hanc providentiâ? Certè non magis incusari potest divina providentiâ, posito, quòd præstantissima etiam primitivæ Ecclesiæ Dd. scripta interierint, quàm incusari potest, quòd ἀπίστευτα Mosis, Prophetarum & Apostolorum non per manus facta rectè ad nos tralata sunt. Aut alleganda erit divina promissio, quâ divinum Numen adstringi possit per suam veracitatem, ut optima tantum scripta eaq; ad fidem infallibilem de consensu omnium ubiq; & cujuscuq; ætatis Doctorum circa singulos fidei articulos nobis faciendam sufficientia conservaret, sola vilia perire sineret. Atque indicina quoque divinæ voluntatis: ut Patrum consensus sit loco principii coinfluentis univoco influxu, licet minus principali, cum Scriptura S. in probationem, aut confirmationem dogmatum, afferenda erit. Quod necessitatis ἀπαισιμα infra ex adversantium manibus extorquebitur.

XXIX. Non

XXIX. Non haberi posse Patrum consensum probatur  
 (3.) quia scripta quæ tinearum & blattarū dentes evaserunt,  
 admodum *mutilata & corrupta* ad nos pervenerunt, quod  
 omni exceptione major experiētia comprobatur. Sed malum,  
 si nostra respiciamus tempora, miris modis intra C annos  
 auxerunt *nefarie inquisitorum manus*, de quibus tot indices Ex-  
 purgatorii clamant. (4.) quia non pauca sunt anepigrapha  
 & Psevdepigrapha, quod *Rivetus & Cocus* ostendūt. Dubia igitur  
 prius ad eum, quem debent, locum redigenda sunt, quā  
 consensus cujusdam Patris ex aliquo Patre elicitur, nisi *datā*  
*operā* hallucinari ac seduci velimus. (5.) quia Patres etiam in  
 iis *quæ ex sententia Papicolarum articuli fidei sunt*, dissentiunt; ne  
 dicam de discrepantibus Scripturæ dictorum interpretatio-  
 nibus. (6.) quia in multis scribunt hæsitanter, dubiè, ancipi-  
 ter, ut de ipsorum mente certi esse nequeamus. (7.) quia in  
 multis sibi ipsis contradicunt, quod vel solius Augustini *Re-*  
*tractationum libri* satis demonstrant. (8.) quia non dissentien-  
 tibus adversariis *abrepti ardore disputationis, & nondum pronatis*  
*certaminibus*, securiùs ac incommodè nonnunquam loquuti  
 sunt. Unde quod th. 10. notabat Rivetus, evenit, ut magnam  
 autorum nubem pro sua hæresi allegarint *Pelagiani & Semi-*  
*pelagiani*.

Crit. Sacr. de  
 Pat. Auctor.  
 cap. 12. seqq.  
 Pref. ad Lect.  
 in Cens. Pat.

XXX. Sed hæc obijciunt Canus & Marcus Antonius:  
*Nunquam omnino & in nullo articulo provocari posse ad consensum*  
*antiquæ Ecclesie, nisi extra controversiam ponatur, sicuti posse sigilla-*  
*tim, in quo laudatus consensus consistat.* Aliàs enim provocari ad  
 rem non existentem in rerum natura, quod ineptum. Resp.  
 confundi duo distinctissima (1.) Non sequitur, *consensum il-*  
*lum in omnibus æquè evidentem esse.* (2.) Negamus sequi, etiam si  
 non in omnibus evidens esset. *in nullo articulo ad consensum illū*  
*provocari posse.* (3.) Verum est, *in Catechesi & Didascalia Verita-*  
*tis nec posse nec debere provocari ad consensum omnium & singulo-*  
*rum Doctorum, in omnibus articulis sigillatim, tanquam ad princi-*  
*pium ætatum natum ad sustinendam rationem norme aut infal-*  
*libilitatis.* Provocatur enim ad eum majoris humanæ pro-  
 bilitatis causā, non autem divinæ certitudinis. *Hoc si-*

Obiectio Ca-  
 ni & Marci  
 Antonii.

Respons.



Tom. i. quæst. xum firmumq; manet, dicimus cum B. Hunnio, non posse ullum  
Contr. Hub. in universa Theologia demonstrari locum, articulum, caput fidei,  
p. 900. 901. cuius non expressa reperiantur in erudita illa vetustate testimonia;  
si non apud hunc Patrem, certè apud alium: si non apud omnes, apud  
aliquos tamen.

Canus lib. 7.

cap. 3.

Pererius in

Gen. q. 5. n.

marg. 45. 46.

aliisque.

Alius obje-

ctionis dilu-

tio.

Loc. alleg.

Novi Ponti-

ficis articuli.

Præf. de Im-

mac. Con-

cept.

In Panegy.

anno 1611. e-

dito.

In Bulla con-

tra eum.

XXXI. Deinde objiciunt ex Vincentio Lirinensi:

*Antiqua Sanctorum Patrum consensus non in omnibus divine legis  
quæstiunculis, sed solum in fidei regula magno nobis studio & investi-  
ganda est & sequenda.* Resp. (1.) Scribunt aliàs indefinitè, nullà  
exceptione adjectâ, consensum Patrum ut fidei Regulam esse  
sequendum. (2.) Dicunt sequendum esse Patrum consensum  
in interpretatione cujusq; loci Biblici. Quare non statuunt se-  
quendos tantum in iis quæ sunt dogmata fidei. (3.) etiam in iis  
quæ apud Pontificios articuli fidei sunt, Patres aut non con-  
sentiunt, aut non sequuntur eos Papistæ, quod exemplis  
comprobat Jacobus Laurentius, & patet ad oculum ex colla-  
tione Articulorum, in professione fidei à Concilio Tridentino  
edita, ad credendum præscriptorum, de purgatorio, indul-  
gentiis, forma missæ, &c. (4.) Si demonstrari potest distinctè  
Patrum de dogmatibus fidei consensus, & difficillimum ta-  
men est, etiam doctis & peritis inter ea distingvere; quivis vi-  
det concinnandum prius esse articulorum fidei catalogum, quàm  
consensus Patrum de iis jactetur. At verò nondum hujusmodi  
perfectus catalogus descriptus est, nec describi potest. Nam  
jactant iidem Pontificii, novos à Romano Vejove articu-  
los cusos esse, & plures cudi posse, ac ad credendum præcipi.

Qualis est ille de immac. conceptione Mariae, quem fatentur  
etiam non habere Patrum suffragia. Vid. Alcasar & Job. Pi-  
neda. Ac recitat autor Legationis Hispanicæ f. 154. seq. octo  
fidei articulos ante annos 500. nondum existentes. Unde etiam se  
passim excusant, quando modernis eorum dogmatis anti-  
quorum Conciliorum aut Patrū dissensus, opponitur, eo tem-  
pore, quo dogma contrarium nondum pro articulo fidei declaratum  
erat, dissentire licuisse. Et hinc damnavit Leo X. hunc articu-  
lum 26. Lutheri tanquam hæreticum: Certum est, in manu  
Ecclesie aut Papæ non esse statuere articulos fidei. Plura Gnatonum

Pon-

Pontificiorum testimonia de architectonica novorum articulo-  
rum gratificatur Sylvestro Petrasanctæ Rivetus, id in  
dubium ferè vocanti. Vide etiam Bellarminum. (5.) Faten-  
tur autem ipsi Jesuitæ *impossibilitatem ostendendi consensum*  
*omnium qui unquam fuere, nullo excepto; dum omnes Patres ex-*  
*ponunt per ferè omnes, h. e. plures vel plurimos; vel præci-*  
*puos & selectiores, atque sic Universalitatem non mathemati-*  
*cè, sed moraliter, ut Greg. de Valentia, explicant. (6.) Quid de*  
*Lirinensis testimonio statuendum sit ex supra dictis constat.*

XXXII. Nititur orthodoxa Conclusio (3.) *Experientiâ,*  
*quæ nimis clarè de Patrum nævis atque erroribus testatur.*  
*Quod ipsum non modò exemplorum productione indubi-*  
*tatum reddunt Centuriatores Magdeburg. Abraham Scultetus*  
*in Medulla, Jacobus Laurentius, Rivetus, &c. Sed fatentur quo-*  
*que Sixtus Senensis aliique ex adversariis. Quare licèt actu se-*  
*cundo non semper & ubique errent, tamen, ut quod de Ter-*  
*tulliano Hilarius dixit, meum faciam, consequens error hominis*  
*detrahit scriptis probabilibus auctoritatem. Sed excipit Bellarmi-*  
*nus: Etsi erraverint aliqui Patrum in quibusdam dogmatibus, nun-*  
*quã tamen omnes simul in eodem errore convenerunt. Resp. (1.) Fas-*  
*sus est ipse Bellarm. Omnes veteres errasse circa originem & tem-*  
*pus Antichristi. (2.) Errarunt omnes simul Patres statuendo*  
*Evcharistiam infantibus necessario porrigendam esse, si Maldonato*  
*fides adhibenda est, qui Augustinum id, non ut opinionem suam,*  
*sed ut fidei & totius Ecclesiæ dogma ad refellendos Pelagianos dixisse*  
*affirmat. (3.) Ratio allegari nequit, de qua errare possint in iis,*  
*in quibus singuli aliquid docent, non verò in iis, in quibus idem docent*  
*omnes. Neque enim ulla uspiam promissio infallibilitatis ex-*  
*tat, ullo modo solis scriptoribus Ecclesiasticis data, aut his*  
*in solidum competens.*

XXXIII. Nititur orthodoxa Conclusio. (4.) *dictu uni-*  
*versaliter negantibus ullum humanâ voluntate, sive non immediatâ*  
*divinâ inspiratione suggestum testimonium, divinam facere posse*  
*fidem. 2. Pet. 1. 1. Thess. 2. v. 13. Propterea etiam nos gratias agimus*  
*Deo sine intermissione, quod acceptum de Deo sermonem, quem acce-*  
*pistis ex nobis, exceperitis, non ut sermonem hominum, sed (sicut est*  
*verè)*

In Jesuita Va-  
pulante cap.  
VII.

Lib. I. de Sa-  
cram. cap. 28.

Loc. all. Sect.  
VI.

Orthodoxæ  
sententiæ fun-  
damentu Ter-  
tium.

In cap. V.  
Matth.

Lib. IV. de  
V. D. cap. 7.  
Sect. 7.

Lib. III. de  
Pont. Rom.  
c. 3. Sect. 2.

In cap. 6.  
Joh. n. 53.

Orthodoxæ  
sententiæ fun-  
damentum.  
Quartum.

verè) ut *Dei sermonem*. Atque hæ fuerunt machinæ quibus infallibilitas Patrum, quæque ab ipsis profluxere scriptorum destruitur.

Diluitur ob-  
jectio Greg.  
de Val.

XXXIV. Nunc, quid *Valentia* obvertat audiamus. *Patrum sententiam*, inquit, *concordem à Sp. S. esse profectam*, atque adeò infallibilem eò certius apud nos esse debet, quò minus videtur fieri humanitus potuisse, ut tot talesque viri doctissimi & Sanctissimi, qui tum variis locis & temporibus vixerunt, in eandem sententiam convenirent. Resp. (1.) Committi fallaciam causa indicantis. Et enim quod consensus Patrum inter se alicubi & frequenter divinæ veritati congruus est, hujus congruentiæ causa non est consensus scriptorum illorum inter se, sed cum tota communione fidelium, sive orthodoxorum ex confesso et alium. In quo hi consenserint, huic nota infallibilitatis à Christo adjecta est, non in quo soli scribæ inter se consentiunt. (2.) Peti & ἐνδεχῆν idque bis, (1.) Quod temerè supponitur, *Extare singulorum & omnium scriptorum consensum frequentem, apertum & constantem, de omnibus & singulis dogmatibus, quæ Papistæ pro Articulis fidei habent*. (2.) Quod supponit, ac si iidem, qui in aliquibus veritatibus consentiunt, non conspirare potuerint in alio aliquo errore. Distantia sanè quoad loca vel ætates nihil ad rem facit.

πρόβλημα  
Conclusionis

Scil. 4. dec. 2.

XXXV. Ex data autem & stabilita sic conclusione fluit πρόβλημα hoc: *Patres nec singuli, nec plerique, nec omnes, quorum scripta superant, sunt regula aut fidei, aut interpretationis*. Si enim fallibiles sunt, qui regulæ aut lydii cujusdam lapidis partes tuebuntur? Ut enormiter proinde definiat Concil. Tridentinum: *Nemo contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat*. Annon interpretantur Scripturam contra unanimum consensum Patrum, qui contra universalem enunciationem Apostoli Rom. V, 12. *In quo omnes peccaverunt, excipiunt: Mariam virginem in Adamo non peccasse?*

XXXVI. Cæterum hic notandum est, *Libris Symbolicis Ecclesiarum particularium* tribui consuevisse nomen *regule ac normæ*, ad hominem sic loquendo. Ut sint norma quasi  
Con-



Conventionalis, quoad Auctoritatem obligandi, etsi in se habeatur pro Testimonio universaliter Vero. Sed non quod sit norma origine immediatâ divina, & fidem divinam generans. Id est, vocantur normæ, non tam quod sint Divina norma fidei, & dogmatum ejus, quàm doctrinæ publicæ in quibusdam Regnis & Provinciis. Rectè Lutherus ait: *Oportet id, quod aliorum metrum & mensura est, multò certissimum & clarissimum esse.* Sed neutrum competit Patrum scriptis; utrumque verò soli divinæ paginæ teste Petro, 2. Pet. I, 19.

Lib. de Ser-  
vo Arbit.

XXXVII. *Concl. 2. Infallibilis Patrum Consensus non est absolutè necessarius.* Requiritur ejus necessitatem videtur Vincentius Lirinensis, quando ait: *Quia Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine, non uno eodemq; sensu omnes accipiunt, sed eisdem eloquia aliter atq; aliter alius atq; alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur, idcirco multùm necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetice & Apostolicæ interpretationis lineam secundum Ecclesiasticum & Catholicum sensus normam dirigatur.* Verùm enim verò, ut ut magnam utilitatem consensus priorum Ecclesiæ Doctorum admittimus, ad reprehendendas videlicet prophanas hæresium novitates: quâ fini etiam supra notatum est Lirinensem præsumsisse orthodoxam Augustini sententiam novitatis suspectam reddere: attamen negamus absolutè ad veritatem credendorum sive demonstrandam, sive tuendam, orthodoxorum Patrum consensum requiri. Et fatetur idem Lirinensis, *neq; semper, neq; omnes hæreses hoc modo expugnandas esse.* Contraria affirmativa destituitur idoneis, id est, divinitus traditis rationibus. E contrario autem testificantur Scripturæ dicta, *eam non solum in se actu primo perfectam esse, sed etiam actu secundo perfectos reddere homines tum ad διδασκαλίαν, tum ad ἔλεγχον.*

XXXVIII. *Notas denique & κληρονομα, qui consentiant, qui non consentiant, cum universa communione fidelium, ex eodem principio sumendas esse, unde sumuntur notæ, qui nam consentiant cum verbo Dei scripto itidem certum. Vide Gerhard. aliosque in Loc. de Script. S. Palmarium dictum*

Tom. I. Loc.  
§. 40. seq. In  
Exeg. §. 367.  
(etiam seq.)

E

Tom. 1. part. 1. (etiam iudicio Junii, Wittackeri, Cham) extat 2. Tim. 3. v. 14. 15.  
 1. contr. 1. l. 4. c. 10. *Tu autem mane in his quae didicisti &c.* Hic namque *ἡ ἐπιγραφή*  
 Quæst. 6. de *ματῶν* eo fine inspirata dicuntur, ut *hominem sapientem & per-*  
 Script. *fectum reddant ad salutem.* Quare citra alterius principii in-  
 Panstr. 1. 1. fluxum ea secundum se proportionata atque adeo sufficien-  
 c. 3. ter evidentiâ, perspicua, integra, ac perfecta esse oportet ad  
 Lib. 4. de hunc finem producendum. Nec habent Bellarm. Becanus,  
 V. D. c. 10. *Bailus, &c.* quod rideant nos quasi inferentes à sola utilitate ad  
 Enchir. 1. 1. *exclusivam sufficientiam*: cum minimè gentium illatio proce-  
 c. 2. n. 57. dat à sola utilitate, sed ab adæqvata potentia instrumenti  
 Catech. tr. 1. hujus à Deo ordinati ad producendum salutis finem ulti-  
 contr. 9. p. 54. mum, opposita τὰς μορφώσεσιν ἐυσεβείας, seu omnibus aliis  
 scriptis sapientiam & pietatem præ se ferentibus.

XXXIX. Per hanc itaque sacrarum literarum sufficien-  
 tiam excluduntur omnis generis traditiones, tanquam necessariae,  
 ad veritatem credendorum sive ostendendam, sive evincendam; cum  
 huic muneri sufficiant solæ Scripturæ Canonicae à seipsis  
 explicatae. Interea non negamus posse cum Scripturæ per-  
 fectione consistere concurrentem Ecclesiastica antiquitatis influ-  
 xum ad probationem & defensionem dogmatum; Sed non eodem  
 genere influxus & causalitatis. Scilicet consensus scripto-  
 rum Ecclesiae inducit magnam probabilitatem consentus ipso-  
 rum inter se, cum consensu reliquorum Ecclesiae Doctorum  
 & reliquorum fidelium. In quo autem consentiunt. 1. omnes  
 scriptores. 2. omnes Doctores Ecclesiae Christianae. 3. omnes ubique fi-  
 deles auditores, cum inter se, tum cum omnibus Scriptori-  
 bus & Doctoribus, hoc habet notam veritatis à Christo huic  
 consensui præmissam. Joh. XIV, 16. itaque consensus scripto-  
 rum Ecclesiasticorum inter se, generat fidem humanam eos  
 consentire etiam cum cæteris Doctoribus & Auditoribus  
 Christianis: cognitio autem harmoniæ inter propositionem  
 quandam Ecclesiasticam cum testimonio scripturarum, ge-  
 nerat fidem divinam, causaliter & objectivè talem, quod  
 propositio illa sit ipsa divina veritas.

Inconveni- XL. Præterea si ob incertitudinem sensuum scripturæ,  
 entia quæ se- necessaria est antiqua interpretationis regula, tria sequuntur  
 quæ sunt ex ne- inconscientia (.) *Majorem esse Patrum auctoritatem, quam*  
 ipsius

Quo modo  
 consistat cum  
 perfectione  
 Scripturæ Pa-  
 trum consen-  
 sus.

*ipsius veritatis & evidentie dicti controversi.* Nam per auctori-  
tatem intelligitur facultas, intellectum hominis ad assen-  
sum, & voluntatem, ad obsequium commovendi. Si igitur,  
ut credam hanc vel illam alicujus dicti explicationem esse  
veram, seu, quod idem est, hunc vel illum esse in hoc dicto  
Dei sensum, *necessario requiritur concursus expositionis antiquo-  
rum Ecclesie Dd. adeo ut hunc sensum non essem habiturus pro vero si  
illo Patrum suffragio destitueretur,* quivis videt *qui cerebrum in  
calcaneo non habet,* illud ipsum Patrum testimonium proxi-  
mam & præcipuam esse causam mei assensus, quod hæc de-  
terminatè sit mens Sp. S. in hoc dicto, & consequenter, ma-  
jorem fieri quoad ordinem & facultatem persuadendi aucto-  
ritatem Patrum, ipsâ evidentiam dicti. Connexio probatur:  
quia illius auctoritas utique in persuadendo major est auctori-  
tate rei creditæ, propter cujus veracitatem *immediatè & pro-  
ximè* creditur hanc rem ita se habere, non obstante, quod  
in sitâ dignitate res credita longè excellentior sit ad fidem si-  
bi faciendam. Nam de ordine probationis, & proxima ratio-  
ne credendi sub qua, quæstio hîc est.

XLl. (2.) *Inesse scriptis Patrum majorem evidentiam ad perci-  
piendum verum sensum, quàm inest ipsis Scripturis Canonicis.* Nam  
explicarentur sic obscuriora & controversa dicta per eviden-  
tiores antiquorum Interpp. consensum. At hoc falsissimum  
est. Nec enim major evidentia inest commentariis Patrum  
vel per *intrinsecam naturam,* vel per *attestationem Sp. Sancti,* quod  
operosâ probatione non indigere arbitror. Rectè B. Luth-  
erus retorquet in Erasmus, *Patres, Patres ingeminantem: Si  
reges Scripturam esse dilucidam, simul asseras mihi necessum est  
omnes tuos sanctos, quos adducis, minus dilucidas esse, quis enim cer-  
tos nos facit de ipsorum luce, si scripturas obscuras feceris? Itaq, nihil  
nisi tenebras nobis reliquas faciunt, qui Scripturas negant esse lucidas  
& evidentissimas.* (3.) Ecclesiam ante edita Patrum scripta non  
potuisse certificari de vero Scripturæ sensu, quod assertu  
impium esset: (4.) Patrum interpretationes, quia & plures &  
discrepantes sunt, aliâ iterum interpretatione indigere. At-  
que ita omnis glossa Scripturarum requireret aliam, & dabitur  
progressus in infinitum.

XLII. At

cessitate Pa-  
trum ad certi-  
tudinem scri-  
pturæ sensu-  
um.

XLII. Atque sic orthodoxam de *Patrum*, qui prioribus seculis floruerunt, *Scriptis* sententiam καὶ δὲ ὑμῶν pro modulo meo enodavi. Quæ etiã sola designare volui nomine *Antiquitatis Ecclesiasticæ*, ut th. i. significatum est: ne de auctoritate *Conciliorum* aut *Symbolorum* insimul sermonem nobis esse quis sibi persvadeat. B. Chemnitio part. i. Exam. Concil. Trid. conficiunt Sextum genus Traditionum. Ita enim ille digere Traditionum genera, ut *Primum* sint, à *Christo & Apostolis* tradita, quæ postea ab *Evangelistis & Apostolis* literis consignata sunt: *Secundum* constituat *librorum Scripturæ Sacræ* non interrupta serie temporum ab *Ecclesia* ad posteros transmissio: *Tertium*, propagatio veritatis usq; ad tempora *Irenæi & Tertulliani*: *Quartum*, expositio, seu *nativa Scripturæ sententia*: *Quintum*, constituent *dogmata* non totidem literis & syllabis in sacro codice extantia, sed quæ bonâ, certâ, firmâ & manifestâ *ratiocinatione* ex perspicuis *scripturæ testimoniis* colliguntur: *Sextum*, *Consensus Patrum*: *Septimum*, *Ritus & consuetudines veteris*: *Octavum*, *dogmata* tam fidem, quàm mores concernentia, quæ licet nullo *Scripturæ testimonio* probari possint, pari tamen *reverentiâ & pietatis affectu* recipienda esse *Pontificii* contendunt. Miseranda sanè est *Romanensium* conditio & stupenda cœcitas, dum, in quibus *pro-ram puppimq; salutis* collocant, articulos, nullo alio sæpè fulcire norunt, quàm *vetustiori aliquo libro* cujus nec autorem nec sensum satis perspectum tenent. *Card. Bellarmini* voluminibus si detrahas *Conciliorum decreta, Pontificum placita, Patriæ auctoritates*, plus quàm *decimam partem* detraxeris. Quare in *velitatione* cum *Pontificiis* antequam ulterius progredi possimus, de *generali prius controversia*, auctoritatem *Patrum* concernente transigere oportet. Quo factum ut vix ultra *quæstionem de iudice controversiarum* Collocutores pervenerint in *instituti conflictibus*. Persecutus est alioquin *integro tractatu*, eoq; non *inerudito* hanc materiam *Emericus K. UYFALVINUS BARONIUS Ungarus*. Nostrum est cum *Augustino solis eis Scripturarum libris*, qui jam *Canonici* appellantur hunc *timorem honoremq; deferre* ut nullum eorum, *scribendo errasse firmissimè credamus, &c.*

Edit. Francofurt. Adde dissp. Theol. Gisberti Voetii.

Epist. XIX. ad Hieron.

SOLI DEO GLORIA

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

IN HONORE DEO  
 THEOLOGICAS  
 De  
 ANTIQVITATIS  
 SIASTICÆ.

PRÆSIDIO  
 Reverendi, Amplissimi,  
 Excellentissimi

IS HULSEMANNI,  
 PP. celeberrimi, Consistorii  
 viffimi, Capituli Cizensis Cano-  
 lectoralium Ephori, & ad D.  
 storis vigilantissimi.

oris ac Præceptoris sui summo  
 ltu jugiter devenerandi  
 ἡ ἱστορικὴ ὑποκειμένη ὑπὸ τῆς

HAMUS Nethe/  
 ebergâ Saxo.

Septembr. An. 1648.

hæredum TIMOTHEI HÖNII.